

non aliter accedat, quam oratio, utroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis sue dignoscitur consecratus, ita ut de uno, eodemque oratio cervicem pariter & utrumque humerum premens signum in suo pectore præparet crucis.

GRATIAN. 4. Pars. DALMATICIS autem nec Episcopis, nec Diaconis absque Apostolica licentia uti permittitur. Unde

X. GREGORIUS I. Aregio Episcopo Francorum, l. 7. Epist. 111. [an. 599. Româ in Galliam.] Absque Apostolica licentia Dalmaticis, nec Episcopis, nec Diaconis uti licet.

Communis filius Petrus Diaconus nobis innotuit, quod Fraternitas vestra tempore, quo hic fuit, poposcit, ut sibi & Archidiacono suo utendi Dalmaticis licentiam præberemus. Sed quia ita hominum suorum infirmitate compulsi festinanter abscessit, ut nec ipse moror incumbens diutius ut dignum erat, & res desiderata poscebat, finiret permanere, & nos in multis implicitos, Ecclesiastica rationis consideratio novum hoc inconsulte, & subito non permitteret indulgere; idcirco postulate rei prolongantes effectus est. Nunc vero Charitatis tua bona revocantes ad animum, hujus autoritatis nostræ serie, petita concedimus, atque te & Archidiaconum tuum dalmaticarum usu decorandos esse concessimus, eademque dalmaticis dilectissimo filio nostro Cyriaco Abbate deferente transmissimus.

XI. EX CONCILIO CARTHAGINENSI IV. c. 4. [an. 398. in Africa.] Qualiter ordinatur Diaconus.

Diaconus dum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat; quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

GRATIAN. 5. Pars. QUÆRITUR autem, an post benedictionem manus Presbyterorum, & Diaconorum chrismatis liquore debeant perungi. De his ita scribit

XII. NICOLAUS PAPA I. Radulpho Archiepiscopo Bituricensi. [c. an. 864. Româ in Galliam.] Nec Presbyteris, nec Diaconis in consecratione, chrismate manus perungere licet.

Præterea Presbyteris, utrum solis Presbyteris, an & Diaconis debeant, cum ordinantur, manus chrismatis liquore perungi. Quod in sancta hac Romana Ecclesia, cui Deo autore deservimus, neutri agit. Sed & quia fit a novæ Legis ministris actum, nusquam (nisi nos fallat obli-vio) legitur. Ergo ad B. Innocentii Papæ Canonica decreta Sanctitatem tuam transmittimus, & que tibi sunt in consecrationibus, & ordinibus observanda, principia pagine ad Decentium Eugubinum Episcopum misisse te affatim edocebunt.

XIII. EX CONCILIO HISPALENSIS II. c. 5. [an. 619. in Hispania.] PALEA.

Epistola Simplicii Papæ Severo, & Florentino Episcopis directa. Ad cognitionem nostris examinis, Gabrensis Diaconi relatu, pervenit de quibusdam ipsius Ecclesiæ Clericis; quorum cum unus ad Presbyterium, duo ad Levitarum ministerium consecrarentur, Episcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur manum suam super eos tantum posuisse, & Presbyter quidam illis contra Ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse: qui propter tantam præsumptionis audaciam poterat accusatus iudicio presentis damnari, si adhuc in corpore positus, non fuisset mortis vocatione præventus. Sed quia jam ille examini Divino relictus, humano iudicio accusari non potest, ii, qui supersunt, & ad eo non consecrationis titulum, sed ignorantiam potius elogium acceperunt, ne sibi licentiam talis ultra usurpatio faciat, decrevimus, ut à gradu Sacerdotialis, vel Levitici ordinis, quem perversè adepti sunt, depositi æquo iudicio abiciantur. Tales enim merito iudicari sunt removendi; quia pravè inventi sunt constituti.

CORR. ROM. a Ex Epistola. Hæc Palea in nullo manuscripto exemplari est inventa. Burchardus, & Ivo ante hoc caput, quod incipit, Ad cognitionem, referunt aliud quoddam caput, quod incipit, Relatio, ex Epistola Simplicii missa Equitio Florentio, (sive Florentino) & Severo Episcopis. Quamobrem inde potest huc esse translata titulus. Ceterum caput hoc à Burchardo citatur ex Concilio Braggæ ab Ivone in 5. quidem parte, c. 213. ex Carthaginensi; in sexta vero, c. 102. ex Hispalensi 2. c. 5. quo etiam loco extat; & sequens caput, Quorundam, est quasi hujus summa.

GRATIAN. 6. Pars. ITEM queritur, an eorum ordinatio sit rata habenda, quibus Episcopus oculorum languore detentus manus imponit, & Presbyter super eos orationem dicit. De his ita statutum est,

XIV. IN CONCILIO TOLETANO [in Hispalensi 2. c. 5. an. 619. in Hispania.]

Et Ordinator, & Ordinatus damnationis subeat penam, cum Episcopus manum imponit, & alius orationem dicit. Quorundam Clericorum, dum unus ad Presbyterium, duo ad Levitarum ministerium sacerantur, Episcopus oculorum dolore detentus, fertur manum suam super eos imposituisse tantum, & Presbyter quidam illis contra Ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse. Sed quia jam ille examini Divino relictus, humano iudicio accusari non potest, ii, qui supersunt, gradum Sacerdotii, vel Levitici ordinis, quem perversè adepti sunt, amittant.

XV. ITEM EX CONCILIO CARTHAGINENSI IV. c. 5. [an. 398. in Africa.] Qualiter Subdiaconus ordinatur.

Subdiaconus cum ordinatur, quia manibus impositionem non accipit, paternam de manu Episcopi accipiat vacuum, & calicem vacuum; de manu vero Archidiaconi accipiat urceolum cum aqua, manille, & manutergium. PITH. 20. Subdiaconus.] Rabanus, lib. 1. de instit. Cleric. c. 8. Can. 6. Concilii Aquigran. Cujac. Observ. 10. 21. Aqua, manille. Aquamanile, unica voce.

XVI. ITEM EX EODEM CONCILIO, c. 6. [an. 398. ibid.] Qualiter Acolythus ordinatur.

Acolythus cum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur qualiter in officio suo agere debeat: sed ab Archidiacono accipiat ceroterarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari: accipiat & urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi. PITH. 22. Acolythus.] Idem Concil. Aquigran.

XVII. ITEM EX EODEM, c. 7. [an. 398. ibid.] Qualiter Exorcista ordinatur.

Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: [Accipe, & commenda memorie, & habeto potestatem imponendi manus super emergentium, sive baptizatum five catechumenum.] Idem Concil.

XVIII. ITEM EX EODEM CONCILIO, c. 8. [an. 398. ibid.] Qualiter Lector ordinatur.

Lector cum ordinatur, faciat de illo Episcopus verbum ad plebem, indicans eius fidem, ac vitam, atque ingenium: post hæc spectante plebe tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum: [Accipe, & esto relator verbi Dei, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis, qui verbum Dei ministraverint.] Idem Conc. can. 3.

XIX. ITEM EX EODEM, c. 9. [an. 398. in Africa.] Qualiter Officiarius ordinatur.

Officiarius cum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari; ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ de altario, dicens: [Sic age, quasi reddidurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.]

XX. ITEM EX EODEM CONCILIO, c. 10. [an. 398. ibid.] Qualiter Psalmista ordinatur.

Psalmista id est, Cantor, potest absque licentia Episcopi, sola iussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: [Vide, ut quod ore cantas, corde credas; & quod ore credis, operibus comprobes.] V. C. scientia. Ore.] V. C. corde.

CLERICI comam nutrire prohibentur, quorum caput desuper in modum sphaeræ ratum esse debet. Unde

XXI. ANICETUS PAPA, Episcopus Galliarum. [forte an. 171. Româ in Galliam.] Clerici comam nutrire prohibentur.

Prohibetur Frater per universas regionum vestrarum Ecclesias, ut Clerici iuxta Apostolum comam non nutriant; sed desuper caput in modum sphaeræ radant.

XXII. ITEM EX CONCILIO AGATHENSI, c. 20. [an. 506. in Gallia.] De eodem.

Clerici, qui comam nutriunt, ab Archidiacono etiam si noluerint, inviti deconedantur. Vestimenta etiam, vel calcemata eis, nisi quæ religionem deceant, uti aut habere non liceat.

XXIII. ITEM GREGORIUS II. in Concilio Romæ habito in Basilica S. Petri, c. 17. [an. 721. Romæ.] De eodem.

Si quis ex Clericis relaxaverit comam, sit anathema. PITH. 28. Si quis.] Ex Synodo Romana sub Zacharia Centur. 10. 8. p. 549.

XXIV. ITEM EX CONCILIO CARTHAGINENSI IV. c. 11. [an. 398. in Africa.] De eodem.

Quibus vestibus Monialis sit induenda, cum consecratur. Antimonialis virgo, cum ad consecrationem suo Episcopo offertur, in tablis vestibus applicetur, quolibet semper usura est, profestioni, & sanctimonie aptis.

XXV. SOTER PAPA omnibus Episcopis Italiae, Epist. 2. [an. 170. Româ in Italianum.] Vestimenta altaris, & vasa sacra mulieres tangere prohibentur.

Sacras Deo feminas, vel Monachas sacra vasa, vel sacra altaria deferre perlatum est ad Apostolicam Sedem: quæ omnia reprehensione plena esse, & vituperatione, nulli rectè sapientum dubium est. Quamobrem hujus Sancte Sedis autoritate hæc omnia vobis resecare funditus, quanto citius poteritis, censuimus. Et ne peccis hæc latus divulgetur, per omnes provincias abtergi citissime mandamus.

XXVI. ITEM EX CONCILIO LAODICENSI, c. 21. [c. an. 320. in Phrygia Pacatiana.] Sacrarum Subdiaconus ingredi non licet.

Non oportet Subdiaconos licentiam habere in sacrarum, sive secretarium (quod Græci Diaconum appellant) ingredi, & contingere vasa Dominica. PITH. 29. Sacrarum.] Secretarium est. Diaconum.] 4. V. Codd. Diaconum.

XXVII. ITEM EX EODEM, c. 22. [c. an. 320. ibid.] De eodem.

Ministrum non oportet uti orariis; nec hostias derelinquere. CORR. ROM. a Hostias.] Vera lectio, quæ habetur etiam in aliquot manuscriptis, est, vestia, sed ob Glosfam non est restituta. PITH. 31. Hostias.] V. C. ostia, quod & notant Correctores Romani.

XXVIII. ITEM EX EODEM, c. 23. [c. an. 320. ibid.] De eodem.

Non oportet Lectores, aut Psalmistas orariis uti, & sic legere aut psallere.

XXIX. ITEM EX CONCILIO CARTHAGINENSI IV. c. 99. & 98. [an. 398. in Africa.] Mulier in conventu viros docere non permittitur.

Mulier, quæ docta, & sancta, viros in conventu docere non presumat. Laicus autem presentibus Clericis (nisi ipsis rogantibus) docere non audeat.

XXX. ITEM EX CONCILIO AGATHENSI, c. 66. [an. 506. in Gallia.] Ministris non sacris vasa Dominica contingere non licet.

Non oportet infirmatos Ministros licentiam habere in sacrarum (quod Græci Diaconum appellant) ingredi, & contingere vasa Dominica. PITH. 32. Sacrarum.] 2. V. C. Secretarium. Diaconum.] V. C. Diaconum, Diaconum.

XXXI. ITEM EX CONCILIO BRACARENSE I. c. 28. [an. 563. in Hispania.] Cullibet ex Lectoribus vasa sacra altaris portare non licet.

Non liceat cullibet ex Lectoribus sacra altaris vasa portare, nec aliis, nisi iis, qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati.

XXXII. ITEM EX CONCILIO MARTINI PAPÆ, c. 41. [an. 572. ibid.] De eodem, ut Clerici comam non nutriant.

Non liceat cullibet ministeria tangere, nisi Subdiacono, aut Acolytho in Secretario vasa Dominica. §. 1. Nec oportet Clericos comam nutrire, & ministrare: sed antonlo capite, patentibus auribus, & secundum Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ornato.

XXXIII. ITEM EX CONCILIO CARTHAGINENSI IV. c. 13. [an. 398. in Africa.] Qualiter sponsus & sponsa sint benedicendi.

Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt à Sacerdote, à parentibus suis, vel à paranymphis offerantur, qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant. PITH. 34. Sponsus.] Non videtur hujus loci.

ORDINANDI PRIUS EXAMINENTUR. DISTINGTIO XXIV.

QUALITER Episcopus sit examinandus, & qualiter simul cum reliquis infra ipsum constitutis sit ordinandus, breviter monstratum est. Nunc autem videndum est de Sacerdotibus, & reliquis, an sine examinatione sint promovendi. De his ita scribit Paulus ad Theimum: Manus cito nemini imponeris, & nihil sine prejudicio facias in alteram partem declinando.

I. EX DECRETIS SILVESTRI PAPÆ, in Synodo Rom. c. 9. [an. 324. Romæ.] De eodem.

Nullus Acolythorum vel Subdiaconorum rem consecratam à Presbytero aliis porrigat (quia aliud est minister, aliud assistens) nisi tantum suppetet, quod ei Sacerdos imposuerit suo ore benedictum. CORR. ROM. a Vel Subdiaconorum.] Verba hæc non sunt in Synodo Romana sub Silvestro, sed habentur apud Burchardum, & Ivonem, & in iis Vaticanis Gratiani exemplaribus, in quibus est hoc caput. Nam in antiquioribus non est: sed post vericulum, declinando, sequitur continenter, Nullus ordinetur.

II. ITEM EX CONCILIO CARTHAGINENSI III. c. 22. [an. 397. in Africa.] Ante probationem nullus ordinetur Clericus.

Nullus ordinetur Clericus nisi probatus fuerit, vel Episcoporum examine, vel populi testimonio. PITH. 1. Nullus.] Conc. Laod. c. 21. supra, dist. 23. Fuerit.] Absent in 3. Vet. Codd.

III. ITEM GELASIVS PAPA I. Celestino Episcopo. [c. an. 494. Româ in Aprutium.] Ad ministerium alicujus Ecclesiæ, Clerici ejusdem promoveantur.

Presbyteri, Diaconi, & universi Clerici Stomensis civitatis petitorio nobis suggerere portecto, in Ecclesiâ Beati Martyris Eleutherii Episcopi (quæ in supradicta civitatis parochia probatur esse constructa) Presbyterum, qui constitutus fuerat, defecisse; atque in ejus locum Julianum Diaconum ipsius Ecclesiæ pro celebritate ipsius loci quantum debere ordinari. Et ideo, frater charissime, si de ejus vita, vel moribus nihil est, quod contra Canonum veniat statuta, superscriptum Presbyteri honore decorabis, veniat statuta, superscriptum Presbyteri honore decorabis, feceris, cum Vilitatoris te nomine, non Cardinalis creasse Pontificis. Pariter etiam & Felicissimum Diaconum in ejus Ecclesiæ ministerio, si conversatio ejus patitur, subrogabis, ut locus processitioris celeberrimus ad mysterium consecrationem nec Sacerdote indigeat, nec ministro.

CORR. ROM. a Parochia.] In omnibus antiquis codicibus, tam impressis, quam manuscriptis sic legitur: cuius vocis loco in recens impressis erat positum parocia, sed visum est antiquam lectionem esse retinendam: præsertim cum dictio hæc etiam Græcè aptissimam habeat etymologiam. PITH. 3. Scitarius.] Calliodorus, lib. 7. Var. Epist. 30.

IV. ITEM EX CONCILIO LAODICENSI, c. 12. [c. an. 320. in Phrygia Pacatiana.] Metropolitanorum & Episcoporum examine promoveantur Episcopi.

Episcopi iudicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum, qui circumcirca sunt, provehantur ad Ecclesiasticam dignitatem; si videlicet, qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei, quam rectè conversationis exemplo. PITH. 4. Ad Ecclesiasticam dignitatem.] Crete, de Ecclesiastica potestate: Græcè ut τὸ ἐκκλησιαστικὸν ἀξίωμα.

Cum itaque sine examinatione nullus sit ordinandus; quemadmodum, & quo tempore, Sacerdotum, & ceterorum infra positurum examinatio debeat heri, considerandum est. De his ita legitur.